humeris impositas ad ingentis verticem montis deporta-
vit. At quid hoc miramini, nonne lingua totas arces,
totas civitates, Regiones totas disrupit, disruptas
caepit, captas vicit, victas, prostratas, eversas
penitus pessumdedit? Nonne saepe opulentas, ~~[illegible]~~
re, nominisque egregias urbes, quas ~~ae~~ nec hostium
terror, nec tormentorum tonitrua, nec sagittarum
fulmina quiverant superare superavit lingua?
Nonne munitissimarum arcium propugnacula, undique
vallis, turribusque fortiter cincta, et praemunita,
quae neque adversariorum agmina, nec militum furen-
tium impetus, nec telorum tempestates, nec globorum
missiliumque imbres, nec famis, sitis, frigoris, calor-
isque maceratio valuit frangere, fregit lingua?
Nonne amplissimas Regiones, quas Turcarum rabies,
quas Suecorum furor, quas haereticorum infamia,
omnisque artis bellicae congeries non potuit vincere,
vicit lingua? O miranda, sed execranda linguae
potentia! Tradunt ~~basi~~ basiliscum enecare homines
aspectu tantummodo, quod equidem admodum demiror,

magis.